



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egrae, 1689

Problema XVI. Cur Aviculæ & Lilia in symbolum Spei ab Incarnata Sapientia proponantur? Dominica XIV. Post Pentecosten. Respicie Volatilia, Considerate Lilia. Matth. 6. v. 26. & 28.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA XVI.

Cur Aviculæ & Lilia in symbolum Spei ab
Incarnata Sapientia propo-
nuntur?

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

Respicite Volatilia, Considerate Lilia. Matth. 6.

v. 26, & 28.

S. I.
Potest du-
obus Do-
minis ser-
viri si mi-
norii pro-
pter Ma-
jorem ser-
viantur.

Si nemo potest duo-
bus Dominis servire,
quomodo servivit
JOSEPH Patriarcha
DEO & Pharaoni, u-
trique sine querela?
quomodo servivit Josephi pater Ja-
cobus DEO & Labano idololatræ,
summa cum laude & merito? quo-
modo Vir secundum cor DEI DEO
& Sauli toto corde servivit, & im-
mortalem idcirco meruit coronam?
quomodo ipsemet DEUS-Homo,
qui non ministrari venerat sed mi-
nistrare, servivit Patri, servivit ho-
minibus, complevitque prius ope-
re quod dein docuit verbo, ut Cæsa-
ri darentur, quæ Cæsaris sunt, &
quæ DEI, DEO? serviri omnino
cum laude duobus Dominis potest,
qui ut ait Chrysostomus, *diversa &*
contraria non imperant, atque ut
Paschiasius observat, *sibi invicem*
subordinatis sunt, his enim facile ju-
cundéque servitur, si minori pro-
pter majorēm, creaturæ propter
Creatorem, mortali propter Im-
mortalem serviantur; quodsi con-
traria imperent, serviri nequaquam
duobus potest. & hinc est quod Ve-
ritas æterna asseveret: non poten-
tis servire DEO & Mammonæ,
quia qui studio pecuniarum occupan-
tur; rei mortuæ servire coguntur,
cui maximè deberent imperare, in-
quit Tertulliani Scholiastes l. 4. in
Marcionem. Durum ac pœne im-
possible est illi servire cui imperare
debēbas, jugūmque ejus sufferre,
cujus frænum tenebas. Esau quam-
vis durus & asper, & quinquagenar-
io major ubi inaudiit fratri minori
servire se debere, irrugit, atque ut
habet Abulensis: *levavit vocem*
suam & maximè flevit, nam ut ait
Philo relatus in glossa: maximè do-
lebat juniori fratri servire. Du-
rissimus crusiatus, inquit Egesippus
l. 1. de Excid. tuorum servorum do-
minatus. Cum ergo supremus
Dominus omne aurum argentum
que subjecerit hominum pedibus,
non vult hominem servire auro sed
imperare. quia verò pecuniae ideo
potissimum servitur, quod sollicitu-
dines de esca & vestitu metuamus,
idcirco Volucres & Lilia in Spei
symbolum providentissimus Ser-
vator

vator proposuit, ut ab iis discamus superfluas curas animo proscribere, inque libertate spiritus Uni Domino servire: solicitum esse pro temporalibus servire est, inquit D. Paschasius in c. 6. Matth. & ideo nē servi sitis pecuniarum, prohibeo solitudinem gerere cibi aut vestimentorum, & quidem posito ante oculos Volucrum & Liliorum exemplo. Cur autem Volucres potius quam terrestria animalia, cur Lilia potius quam alios flores Nazarenus noster elegerit, videamus.

Non terrestria, sed volatilia animantia in Providentiae suae symbolum nobis DEUS proponit, quia Aves cœli, ut acutè obseruat D. Ambrosius in c. 12. Luc. speciale sibi nil vendicant, & ideo pabulis indigere nesciunt. absque magna anxietate escam suam aviculae queritant, & absque magna difficultate per campos & prata inveniunt. Homo vivissim magna cum difficultate cibum reperit, quia magna cum anxietate inquirit. causam ultiorum assignat Ambrosius, quia aves nullius rei particularem habent dominatum, nec specialiter quid sibi vendicant, atque idcirco omnia in promptu habent, nec ullius indigenitâ laborant; qui enim nihil sibi acquirit, omnia possidet. Econtrâ insatiabilis mortalium cupiditas, cum singula sibi vendicare atque ex communibus facere propria & singularia soleat, spoliatur universum omnibus, & tam deest insaturatæ avaritiae quod habet, quam quod non habet, concludit itaque Ambrosius cit. nos communia amisimus, cum propria vendicamus.

Non multum ab Ambrosii mente abludit Anastasius Sinaita, dum idcirco volatilia præ terrestribus à Christo nobis proposita autumat, quia volatilia ex aquis producta baptismum tanquam fontem

benedictionum præfigurant, omnesque denotant fideles, qui benedictionem à DEO consequuntur, at verò per terrena animalia significantur homines sæculo dediti, qui ob cupiditatem suam coelesti benedictione excluduntur. volatilibus enim benedictionem à DEO datam Gen. 1. v. 22. legimus, quam terrestribus animantibus nuspam invenimus concessam. Loquatur Anastasius: quæ ex aquis sunt genita, omnia DEUS benedixit, à terra vero genita animantia privavit benedictionem, nam præfigurabatur generatio per Baptismum ex aquis, & proinde genitas animas, id est, regeneratas per baptismum, benedixit: animantibus & jumentis & feris ac venenatis hominibus, qui sunt peregrini & alieni à regeneratione baptismi, nequaquam impertiit benedictionem, sed eos relinquit absque benedictione. ut supernam mereamur benedictionem, aves imitemur, tum in aliis proprietatibus, quas passim divinæ paginæ nobis proponunt, tum maximè in gratitudine erga DEUM, ob quam D. Maximus aves nobis à Christo in exemplum proponi arbitratur. hæ enim svavissimo cantu suo manè, meridie, ac vespere gratias suo persolvunt Creatori, quantum eis à natura permisum est. inde fit (Sylveiram recito) ut majori facilitate, ac minori solitudine inter cetera animantia pascantur per campos & prata, cibóque abundant, quanto magis gratitudo apparet, tanto magis beneficiorum largitas diffunditur. Placeat D. Maximus verba excipere: aves propter viles escas gratias agunt, tu pretiosissimis epulis pasceris & ingratus es? quis igitur non erubescat, sensum hominis habens, finè psalmorum celebritate diem claudere, cum ipsæ aves ad gratificandum psalterii svavitate persulfent, & ejus glori-

Anast. in hex.

S. Max. ho-
mil. de
non ti-
mendis
hostibus
Carneis.

am, non versuum dulcedine personare, cuius laudes volucris modulata cantilenâ pronuntiat? imitare ergò frater minutissimas aves, mane & vespere creator gratias referendo, hucusque Maximus.

§. 3.
Laus gratitudinis.

Non me contineo, quin in laudes gratitudinis, quam ab aviculis discere nos jubet Maximus, breviter excurram, illudque Philonis repetam: *omnis virtus sancta est, gratitudo vero sanctissima, quam non legitimè DEO exhibent, quotquot putant eum placari edificiis, donariis, sacrificiis, nam ne totus quidem mundus ad templum in honorem ejus suffecerit, sed prestat eum laudibus hymnisque colere.* Nunquid manabo carnes taurorum inquit Deus Ps. 49. v. 13. aut sanguinem hircorum potabo? minimè vero, sed immola DEO Sacrificium laudis. quod est sacratus laudis Sacrificium ait S. Augustinus l. i. contra adversar. legis & prophet. c. 18. tom. 6. quām in actione gratiarum? & lib. de Spiritu & littera c. 11. cultus DEI in hoc maximè constitutus est, ut anima ei non sit ingrata, unde in ipso verissimo & singulari sacrificio, Domino DEO nostro gratias agere admonemur. hoc offerre quisque potest. Subdit porro nominatissimus Philo quandam Cedro (ut Mendoza noster lib. 1. Reg. c. 2. annot. 14. sect. 1. loquitur) dignissimam relationem: DEum videlicet absoluto universi opere quendam è prophetis interrogasse, quid deesse videretur, eumque respondisse desiderari laudatorem, qui opera à DEo facta vel enarrando laudaret, ipsam enim enarrationem operum DEL laudem esse sufficientissimam nullo egentem auditario. sed faciunt hoc astra illa matutina Job. 38. & jubilant omnes filii DEL, seu ut est in Hebræo, omnes turba Angelorum, quibus luctator ille Angelus immisceri volebat Gen.

38. jam enim ascendit aurora, tempus est, ait Lyranus, ut cantem DEL laudes cum aliis Angelis. Et ideo non debes me amplius tenere. Et impeditur à laude DEL faciunt & hoc religiosi chori, qui toties solenne illud recinunt Deo gratias. cuius fugillatores sic perstringit S. Augustinus in Ps. 132. utinam illi milites CHRISTI essent, & non milites diaboli, à quibus plus timeatur DEO gratias, quam fremitus leonis. Certe si teste philosopho Deo, parentibus, præceptorib[us]que nullae unquam sufficienes gratiae reddi possunt, saltē aliquæ reddantur. Sic instruit S. Basilius homil. 5. in Julit. M. si quando latius arridet vita institutum, illam depromamus Davidis vocem: *quid retribuam Domino?* ex nihilo effecit ut essemus & produxit. quid retribuam Domino? quid nihil nisi gratias, ita S. Bernardus ep. 191. *verus benevolus amplus non requirit.* Danti rependi quidquam gratius ab accipiente non potest, quām si gratum habuerit, quod gratis accepit. simile deducit ad hominem ab homine S. Chrysostomus in Ps. 41. *nos quoque à pauperibus nihil aliquid requirimus, quam laudem & gratum animum & accepti memorem beneficii.* si nos pro gratiis beneficia vendimus, quantò magis DEus? Dicamus ergò quod David à pedo ad sceptrum translatus Ps. 145. *laudabo Dominum in vita mea.* Religiosi S. Columbani in Luxoviensi Monasterio tot erant, ut continuo sibi invicem succederent chori, nullo intervallo à divinis laudibus dies noctesque relicto. audiit illos Albertus & Ernestus Saxonie Principes, qui Misnensem Ecclesiam in hunc modum erexerunt & ditarunt.

Levit. 6. præcipitur Moysi: *ignis in altari semper ardebit, in quem locum Philo Alexandrinus lib. de off. victim: merito inquit ut quidem*

47-

arbitror: nam quia perennes DEI
gratiae non deficiunt, nec intermittun-
tur, sed interdiu noctiūque fruendas
se præbent nobis hominibus; gratia-
rum actionem hæc sacra flamma figu-
rat semper instaurandam, nequando
extingvatur. S. Augustinus verò
Soliloq. c. 18. sicut nulla est hora vel
punctus, quo tuo beneficio non u-
tor, sic nulla debet esse hora, quâ te non
habeam ante oculos. S. Paulus sem-
per & ubique gratias agi vult Ephes.
§. gratias agentes semper, & ad Co-
loſſ. 3. in omnibus gratias agentes, et
iam quando aviculae cantum audi-
mus, gratiarum dicendarum memi-
nerimus, ut eo excitemur ad laudan-
dum magnum DEum. audiit Ioan-
nes Baptista Vitellus Fulginas, teste
Rho exempl. l. i. c. t. §. 3. aviculam
articulatas has voces efferentem:
laudetur Deus. tum ille: ò nos in-
gratos! alites laudant, homines in-
juriis afficiunt. *aves surgente & occi-
idente die* ait S. Ambrosius l. 4. hex-
am. c. 12. suos cantus instaurare
conseruent, ut decursi & adoriendi
temporis laudes suo referant Creatori,
eleganter Seneca de beneficiis lib.
4. c. 6. à minori ad majus argumen-
tatur: si domus tibi donetur, num
mediocre munus vocabis? & cùm
ista quæ habes magis aestimas, quod
est ingratii hominis, nulli debere te
judicas, unde tibi istum quem tra-
his spiritum? unde istam per quam
actus vitæ tuæ disponis atque ordi-
nas lucem? unde sanguinem, cuius
cursu vitalis continetur calor? un-
de ista palatum tuum saporibus ex-
quisitis ultra satietatem laceſſentia? un-
de hæc irritamenta jam laſſæ vo-
luptatis? unde ista quies in qua pu-
trefcis & marces? nōnne si gratus
es, dices: DEUS nobis hæc otia
fecit..

§. 4.
Lilia quid
doceant
ex S. An-

Sed jam cogitationes nostras à
volatilibus celi ad lilia agri transfe-
ramus: Considerate lilia agri. cur

lilia potius quâm rosas, tulipas, vio-
las, narcissos, hyacinthos, granadil-
las & sexcentos alios flores? Tria

tonio Pa-
duano Do-
minic. 15.
post Pent.

in liliis considerat liliatus pædica-
tor D. Antonius de Padua, medici-
nam, candorem, & odorem. medi-
cinæ in radice est, candor in foliis, o-
dor in flore. medicina pœnitentes
denotat, à quibus medicamen in ra-
dice ac origine malorum adhiben-
dum est. Candor autem & Syncer-
itas animi appareat in flore nostra-
rum actionum. odor autem boni
nominis & famæ in agro, hoc est, in
deserto ac solitudine & separatione
tumultus hujus saeculi. Et cum his
ait D. Antonius citatus, justorum
lilia crescunt de virtute in virtutem,
& non laborant voluptatibus saecu-
li, neque nent, hoc est, diversa fila
cogitationum non retorquent in
temporalibus, sed vincunt Salomo-
nis gratiam, in quo potentes ac di-
vites hujus saeculi significantur,
quorum tota Majestas frivola &
transitoria est. Altius alii cogita-
tiones elevant, & Lilium idcirco à
Nazareno nostro pæceteris floribus
propositum fuisse affirmant,
quia lilyum teste Pierio apud vete-
res nunquam non fuit Spei hiero-
glyphicon. Videre est in nummis
Imperatorum parte alterâ DEUM
insculptum, lilyum dextrâ tenentem
cum inscriptione: *Spes publica, vel*
Spes Augusta vel Spes Populi Romani,
eratque Romanis solenne cùm spes
bona affulgeret Virgilianum illud
exclamare: *manibus date lilia plenis.* *AEn. 6.*

Pierius
lib. 55.

ipsissimâ hac phrasî DEus uititur,
cùm fideles liliâ instar in spem vitæ
affirrecturos promittit Oſeæ. 14.
v. 6. *Isræel germinabit sicut lilyum,*
eosdemque bene sperare & in floribus
dies ducere jubet Eccli. 39. v. 19.
Florete flores quasi lilyum, in Syriaco
est: *sicut radix Lilij regij attollite*
vocem & laudate simul. non potest
non fortunatus esse, qui sperat dum
spirat,

PROBLEMA XVI.

spirat, illudque Jobi nunquam ex corde dimittit: etiam si occideris me sperabo. Ludovicus II. Dux Borbonius equestrem instituit ordinem, cuius insigne esse voluit torquem aureum ex liliis cum Cruce dependula & epigraphe: *Spes unica*. Margarita verò Navarræ Regina coronatum lily in Symbolum adlegit, ex quo pretiosus unio dependebat cum lemmate: *Spes una coronat*. benedicit Deus coronæ anni non dicam benignitatis, sed adversitatis nostræ, si ex corde fiduciam nunquam dimiserimus, licet spinis undique cingamus sicut in terra sancta passim videre est lilia è mediis spinis enasci & proficere.

**S. 5.
Laus Fiduciae.** De animo perfecto dicitur (verba sunt S. Nili in Ascetico) Lignum est inter spinas. Hoc namque inter curas tranquillè degentem indicat, sicut lily inter insidiantes spinas non laborat neque fatigatur, sed quietâ & tranquillâ naturâ crescit, germinat, floret. Fiduciam in Deum commendans D. Laurentius Justinianus tract. 8. de spec. 2. aurea hæc concinnat elogia: *in presenti tempore spes est quædam vigilia Solennitatis æternæ, nam est arrha æterni premij, Et ponderatio futuræ suavitatis, cui datur intrare in horum spiritualis voluptatis*. Fusiùs Guarricus Abbas utilitatem & excellentiam Spei extollit serm. 2. de S. Benedicto: *benedictus vir qui confidit in Domino, quia qui in Domino fudit, in eo seipsum figit, ubi autem arbor radicem figit, inde succum vitæ atque humorem pinguedinis bibit: planè humorem ad radices misit, qui spem suam DEO commisit, ac de ipso fonte summi boni, aquas vitæ, totius benedictionis Et gratia bibit, per banc nempe piam Et fidem fiduciam remittuntur peccata, propulsantur pericula, terrores contemnuntur, vincitur mundus, effugiuntur naufragia,*

declinantur fulgura, tempestates superantur. Spem vocat Divus Augustinus Scalam quâ ad Deum ascendimus, clavim viscerum divinorum, & numisma quo Misericordia ejus emitur. Speremus! & habebimus scalam securiorem illâ, quam Jacob lapidi incubans vidit in cœlum usque porrigi & angelos ascendere ac descendere, ut videlicet suspiria nostra ad thronum gratiæ efferant & charismata cœlestia deferant. figurat hanc scalam caudex lily viridianibus foliolis interstictus rectâque in sublime tendens; hoc enim situ nos docet in cœlum desideria erigere, & ex alto auxilium præstolari speremus! & clavigeri non quidem cœlorum, sed quod amplius est viscerum divinorum erimus. latent in corde Salvatoris ingentes divitiae & innumera-biles thesauri multis seris probè custoditi, verum omnes facilis negotio referat clavis fiduciae. Sunt alii Regum & Cæsarum thesaurarii aut Camerarii, clavibus aureis insignes, nos Camerarii Regis Regum esse possumus, si ex animis nostris clavim Spei nunquam dimiserimus. per viscera misericordiæ DEi nostri obtestor singulos, vitam potius quam fiduciam erga infinitam Clementissimi nostri pietatem amitant. Crucem Salvatoris vocavit Vates Evangelicus Clavim David super humeros ter Maximi Pontificis, nos ex hac ipsa cruce clavim Spei fabricare possumus, quâ adiutum ad Sancta Sanctorum, viscera inquam divinarum miserationum patefaciamus. adumbrant hanc clavim illi in lilio spectabilis malleoli, revocantque in memoriam clavos crucifixi, ex quibus Fabri filius nobis fabricare dignatus est claves cœli. Speremus! & ecce aureum habebimus nummum, quo Misericordiam Redemptoris nobis redimamus.

S. Aug. I.
de civit.
DEI.

mus. nummum hunc aurea illa lili flavedo significat, quæ in floris meditullio conspicitur. Venditus quondam Iesus est triginta argenteis, hodie emitur nummo Spei. Nummos gratiarum, ut vocant, querant alii in aulis principum, nos in caula Bethleemita, vel in Oliveti area, aut ara Calvariæ inveniemus, ubi aurei nummi liliis insignes, quales Cæsarum Romanorum fuisse supra dixi, disperguntur & dulcissima illa exauditur vox, quam olim Ægypti prorex ad timidos fratres suos protulit: *nolite timere, venite ad me, et ego dabo vobis omnia bona Ægypti*, Gen. 45. v. 18. ò divinissime Joseph Cœlorum terrarumque Rex, nos te in servitutem vendidimus, inque peccatis nostris servire cœgimus, nos feris pessimis devorandum te objecimus, nos belluis omnibus immaniores dirissimè te confecimus, & tu misericordia viscera nondum exuisti, potesque adhuc invitare nos, & bona omnia polliceri? ita est, respondet benignissimus Salvator, frater vester & caro vestra sum, sanguinem quem fudistis, sudorem quem expressistis, lacrymas quas excussistis, pretium vestrum & litrum est: confidite ego dabo vobis omnia bona. ideo flumina lacrymarum fudi, cum guttula suffecisset, & cataclysmum sanguinis emisi, cum stillula millesimæ exhauriendis infernis satis esset, ideo copiosam præstiti redemptionem, ut nullus posset esse locus diffidentiae. exclament nunc Augustinus & Bernardus: desperare utique potuisse propter nimia peccata mea, & infinitas negligencias meas, sed desperare jam non audeo, quia cum inimici essemus, reconciliati sumus per mortem Filii DEI. tota spes mea est in morte Domini mei. mors ejus meritum meum, & refugium meum, Salus

mea & resurrectio mea, meritum meum misericordia Domini. quanto ille potentior ad Salvandum, tanto sum ego securior, multum est, quod mea meretur impietas, longè autem majus est, quod Redemptoris mei poscit jure pietas, magna est mea iniquitia, satis verò major justitia Redemptoris. quid enim deliquit homo, quod non redemit Filius DEI factus homo? haec tenus Augustinus & Bernardus. en quām bene sperare nos doceat Lilium.

At non sperare solum docet, operari nos pariter jubet, & candore puritatis in lilia mutari; præcipuum enim quod lilio denotatur, virginitatis decus & fastigium est. Psalmum quadragesimum quartum hoc titulo regius psalmographus insignivit: *Triumphus pro Liliis*, quia in eo Psalmo triumphum castitatis depinxit. Aptissimè S. Paschasius: Virginitas quæ Angelis comparatur, per lilia quām sæpe in scripturis Sacris præfiguratur. & ideo dixerit Dominus quod nec Salomon in omni gloria sua cooperatus sit, sicut unum ex istis, in quibus nimirum floribus renitentibus floris veri incorruptio, & pulcritudo per charitatem integræ castitatis. propter quod velim vos considerare, Virginitas quām præclara, quæ tantis & talibus attollitur præconiis. haec tenus S. Paschasius lib. i. in Psalmum. 44. ubi Vulgata nostra habet: *missus est Angelus Gabriel ad Virginem* Luc. i. v. 26. alia legit versio: *missus est Angelus ad Lilium*, quasi idem sit Virginem ac Lilium esse. est enim verò Virgo Virginum illud ab Esdra significatum Lilium: *ex omnibus floribus elegisti tibi lilyum unum*. unum præ omnibus floribus placet & præcellit lilyum, quia castitas una præ virtutibus ceteris Sponso animarum placet. In Su-

§. 6.
Lilia sunt
Symbola
Castimo-
niz, cujus
encomium
figuris
quinq[ue]
adstruitur.

^{4. Esd. 5.}
_{v. 24.}

fan

PROBLEMA XVI.

Figura 1.
Affuerus
in Susan
Eth. I.

san habitavit Assuerus, Susan idem quod Lilium significat, inter lilia habitat & pascitur Sponsus, cuius labia sicut lilia, & quantus quantus ipse est, totus Lilium est. à Lilio candorem castitatis addiscere jubemur. Lili patriam finxere poëtæ cœlum: - - - o flos pulcherrime nostri

Portio, flos terræ, cui non cunabula debes

Sed Cœlo, & Cœli quæ te produxit alumnæ.

Virginitatis patria cœlum esse dicitur, castitas cœlo accersivit quod imitaretur in terra, inquit S. Ambrosius I. i. de Virg. prima Virgo est ipsa Sanctissima Trinitas, de qua D. Gregorius Nazianzenus canit: *Prima Trias Virgo est.* Liliorum semen inimicum est serpentibus, castitas daemonibus, hinc de primiceria Virgine dictum à DEO ad serpentem est: *ipsa conteret caput tuum.* extingvunt ignem sacrum & serpere prohibent lilia, extingvit Sodomæum in infernalem ignem Castitas, hinc Susanna, quæ *lilium* significat, in balneo deprehensa à malignis ienibus aduri non potuit; Confortant caput sanum lilia, debile impetunt, confortat odor Virginitatis ipsum Generis Humani Caput JESUM Nazarenum Crucifixum, qui video caput in cruce inclinat, ut in sinu Matris Virginis vallato liliis requiescat. at verò caput ebrii Holofernis impedit casta Judith, caput adulteri Sisaræ conficit casta Deobra. regium sceptrum inter flores tenet lily, & coronam auream suo gestat in vertice, quasi natura ipsa Lilium inter flores regem coronasset, corona virtutum est Virginitas, cui videlicet soli præcipue seruum seu corona ubivis gentium afferitur.

Posteaquam divinus Sponsus dixisset: *ego flos campi* Et lily con-

vallium Cant. 2. v. 1. mox subdit de sponsa v. 2. *Sicut lily inter spinas,* sic amica mea inter filias. quibus in verbis observo Regem appellari florem & Lilium, ac Sponsam Lilium solum, & non florem, cur & hic titulus Reginæ non attribuitur? respondet S. Augustinus Christum dici florem campi ob decorem Sanctitatis, omniumque virtutum, lilyum verò ob Virginitatem, solum in Sponsa lilyum, non verò ceterarum flores virtutum deprædicantur, quia in virginitatis encomiis omnium decor virtutum coronatur, cum ut ait S. Gregorius, nec opus bonum est aliquod sine castitate. Eleganter Hildebertus ep. 35. *virginitas curarum est silentium, pax carnis, virtutum principatus, naturæ oblivio, virtutum redemptio;* elegantiū adhuc Abbas Clarævallenensis ep. 42. ad Senonensem Episcopum: quid castitate decorius, ait, quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum Angelum, Deumque de homine facit. Sola est castitas quæ in hoc mortalitatis loco & tempore statum quandam immortalis gloriæ repræsentat, sola inter nuptiarum solemnia morem illius beatæ vendicat nationis, in qua non nubunt, neque nubentur, præbens quodammodo terris cœlestis jam illius conversationis experientiam. hæc Bernardus.

Audi filia & vide, tu quæcumque virgo es audi, quam DEO gratia virginitas, quam pulchra sit, quam illius dignitas. magnum revera quoddam ac præclarum Virginitas est, quod ut totum simul explicem, hominem incorruptibili DEO simillimum facit inquit Basilius Magnus lib. de vera Virgin. & cur simillimum? respondet Condiscipulus Basilius Gregorius Nazianzenus, ut suprà insinuavi: *prima Trias Virgo est.* Pater enim sine corruptione generat Filium,

Figura 2.
Lily in-
ter spinas.

Filium, ex Patre & Filio purissimè Spiritus Sanctus procedit. ex omnibus titulis hic solus convenit Trinitati: non Apostol^o, non Propheta, non Confessor dici potest, sed Virgo. & quia similitudo mater amoris juxta Philosophum, hinc inamoratur Trinitas in Virgines.

Figura 3.
Agnus fū-
pra Mon-
tem Apoc.
14.

Apoc. 14. vidit Joannes agnum supra montem, stipatum centum quadraginta quatuor millibus adolescentum: habentes nomen ejus & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis, quid hoc rei? quæ virtus in tanto honore? bis sunt qui cum mulieribus non sunt coquinati, Virgines enim sunt. si Virgines, ergo imago sunt Trinitatis, & ideo habent nomen Patris & Filii. habent nomen Patris, Virginitas enim Deificans inquit cat. Græca in c. 2. Luc. soli purissimè DEO verè propriè que confortes facit. habent nomen Patris, à quo dicuntur dñi & filii Dei, ita Albertus M. Sed ubi nomen Spiritus Sancti? in fronte non apparet! supra corda est, custodit enim Virginum corda: quia proprium officium Spiritus Sancti est formare Virgines eásque immaculatas conservare. quod apertè S. Gabriel Luc. 1. v. 34. prodidit: *Spiritus Sanctus superveniet in te*, quasi diceret, nè mirere fore matrem & manere Virginem, quia non humanum, sed Spiritus Sancti opus id est. ubi auree Chrysologus serm. 57. ubi *Spiritus generat, Virgo parturit, totum diuinum geritur, nil humanum.*

Audi filia: quod in te est, non humanum est, sed divinum. vide decorum, qui tantus est ut ipse Rex supremus captus sit. non mirere Adamum Evæ, Jacobum Rachelis amore captum, Samsonem Dalilæ, Davidem Bethsabæ, Salomonem Sunamitidis, Holofernem Judithæ, Assuerum Estheris pulcritudine inescatum, ipse Rex summus ita diligit

castam animam, ut se totum illi do- net: *Concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus DEUS tuus & adorabunt eum Ps. 44. v. 12.* concupiscet supra cœlorum pulcritudinem, supra Angelorum spe- ciem, quorum castitas est felicior quam fortior, juxta Bernardum in ep. pulcritudinem enim quis potest majorem aestimare decore Virginis? quæ amatur à Rege, probatur à Ju- dice, dedicatur Domino, consecra- tur DEo. quando tu te illi, ille se de- dicat tibi, quoniam ipse est Domi- nus DEus tuus. in corde tuo o Vir- go habitat. DEus tanquam in suo throno tanquam in suo templo.

Cant. 3. v. 9. *ferculum fecit sibi Rex Salomon.* de qua materia? de lignis Libani. quæ ligna in Libano? illuc cedri Libani quas plantauit. Ps. 103. v. 16. cedri corruptionem non admittunt, & ideo virginitatis sunt symbolum, quæ nullam cogitatio- nem, desiderium, verbum, aspe- tum, tactum admittit, unde cor- rumpi possit. Libanus idem signifi- cat juxta S. Hieronymum, quod can- didatio seu dealbatio. quæ liberia est Virginum. Plusquam Salomon Rex pacificus, ut sibi in terris thro- num competentem fabricaret, non accepit Cypressos ex Sion, sive Pa- triarchas, non Palmas in Cades seu Doctores, non rosas in Jericho Mar- tyres, non olivas Confessores, non platanos juxta aquas, pœnitentes, non myrrhas, Videlas, sed cedros seu Virginis, ex his sibi thronum fe- cit, quia in iis quiescit. ita S. Grego- riuss Nyssenus hom. 7. in cant. sunt proinde DEi thronus Virginis, sunt & templum..

Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi Ps. 131. v. 13. quæ est hæc sedes Domino eterna ac re- quies? quærerit Zeno in Ps. 26. re- spondet certè virginitas ac conti- nentia humana DEI templum est. nec

Figura 4.
Ferculum
Salomo-
nis Cant. 3.

minor reverentia debetur virginis quam templo. in Virgine adorari vult Deus. unde idem Psaltes: *E adorabunt eum.* De Constantino Magno testatur Eusebius Cæsariensis vitae lib. 4. quod tanti fecerit scamna, in quibus seorsim sedebant Virgines, ut quoties transiret vacua scamna, tam profundam reverentiam fecerit, quam ipsi altari, ubi Venerabile Sacramentum asservabatur. quod ex psalte didicit, nam ubi vulgata legit: *apprehendite disciplinam* Ps. 2. v. 12. ali ex Hebræo vertunt: *adorate puritatem.* pura Virginitas DEO similem, DEI templum & propè divino honore dignum facit iudice Constantino.

Figura 5.
Sepulcrū
novum
Matth. 27.

Cuilibet virginī inscribit Spiritus Sanctus: *hęc requies mea.* Ter invenio Dominum quieuisse: in utero Mariæ, in sinu Joannis (ut habet S. Ambrosius lib. 2. de virg. sifnum Joannis ut in eo accumberet libenter Dominus elegit) denique in sepulcro: sepulcrum autem erat novum, quod exciderat Joseph in petra Matth. 27. Marc. 15. in quo nondum quisquam positus fuerat Luc. 23. Joann. 19. typus virginis, quae à mortali corpore violari se non patitur, & contactum morte pejus horret, est sepulcrum in quo JESUS capit quietem, & celebrat resurrectionem.

Ad singulare solarium vestrum est dō Liliatæ virgines, quod dicturus sum, nec dicturus essem, si non citata catena Græca ad hoc me obligasset, ait proinde illa: *quod in inviolata MARIA corporaliter, hoc ipsum etiam spiritualiter in omni anima virginitatem servante contingit.* hoc est; sicut MARIA promeruit fieri thronus & templum, quies & deliciæ divino Verbo, ita quælibet vera virgo habitaculum est DEI. In-sinuavit id CHRISTUS Matth. 12.

v. 5. quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater & soror & mater est. sed quæ est ista voluntas? forte voluntas consistit, ut perpetuum servemus iejunium, cilicum, vigilias, omnibus nos denudemus? non hoc requirit Deus: eamus ad Paulum & inquiramus ab eo ex tertio cœlo reduce, quæ sit voluntas Patris? o Doctor gentium! non nega nobis hanc gratiam, non priva hac nos scientiā, dic obsecro, quæ sit voluntas Patris? audio responsum ex 1. Thessal. 4. v. 4. *hęc est voluntas D E I Sanctificatio vestra.* Sancti estote sicut & ego Sanctus sum Levit. 11. v. 44. quid intelligit per Sanctificationem Apostolus? resciemus id ex Discipulo Pauli Dionysio Areopagita, quem citat Cornelius à lapide hic. *Sanctitas est perfectissima ab omni iniquatione libera, hanc docuit nos CHRISTUS petere Oratione Dominicā petitione tertią: fiat voluntas tua.* voluntas tua est castitas nostra. fiat castitas sicut in cœlo & in terra. sicut Angeli casti sunt per naturam, ita nos per gratiam tuam, ut mereamur in cœlo confociari Angelis juxta illud verbum tuum: in cœlo neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli DEI Matth. 22. Marci. 12. Luc. 20.

Eccli. 26. v. 20. compendium elogiorū Castitatis lego: *omnis ponderatio non est digna continentis animæ,* dicatur in laudem Virginitatis quidquid potest, minus erit quam debeat. estimetur quantum potest, nunquam sat siccimabitur. faciamus ex Cruce statu & ponderemus, Castitatis pretium ac præmium. veniant Patriarchæ cum suis meritis, *non est digna ponderatio.* veniant Prophetæ & quotquot sunt Doctores, nontantum ponderant, quam una Virgo sapiens. Veniant Apostoli & Martyres; non est digna pon-

ponderatio. Veniant conjugati cum suis eleemosynis, non est digna ponderatio. Virginitas aurum est, Viduitas argentum, conjugalitas æs juxta S. Hieronymum in c. 2. Dan. Virginitas Sol est, viduitas Luna, conjugalis castitas stella. quæ comparatio stellæ ad solem? ita S. Augustinus in c. 12. Apoc. Virginitas nubes est, viduitas terra est, conjugalis limbus ad mentem S. Ambrosii in exhort. ad virg. super illud: *ecce Dominus sedet super numerum leuem.* non est digna ponderatio. Veniant ipsi Angeli, accedant archangeli, Throni ad sint cum Dominationibus, Seraphini cum Cherubinis, quid putatis? num isti præponderant? at attendite ad verba Gregorii in Pastorali p. 3. quæ posuit in illam Iiiae sententiam c. 56. v. 4. *haec dicit Dominus Eunuchis* (*Eunuchi sunt qui, inquit Gregorius, compressis motibus carnis affectum in se pravi operis abscindunt*) *dabo eis in domo mea ubi mansiones multæ sunt locum & nomen melius à filiis i. e. Angelis & à filiabus.* i. e. ceteris animabus electis. major est Victoria virginum quam Angelorum S. Ambrosius lib. de vid.

§. 7.
Brevis re-
petitio
Concionis
& Emble-
ma.

At at quò me effusus Liliorum odor, candor, decórque abstraxit, ut tam profusè in castitatis laudem excurrerem? nimirùm vel cogitata Castitas foecundat animam, &

facundam facit lingvam. Plura mihi superessent de lilio, quod juxta doctrinam Evangelicam, consideratum, pulcherrimas movet, cogitationes, verùm satius fuerit non sub rosa, sed Lilio easdem reservare. Vos interim manibus date lilia plenis, atque à Liliorum nitore puritatem, à rectitudine fiduciam, à medicinali operatione pœnitentiām discite, ut plusquam Salomon in omni gloria sua nunc quidem stolâ gratiæ, deinde immortalitatis ac gloriæ cooperiri possitis. Considerare Lilia, sed & respicite volatilia, quæ gratitudinem vocali suo clamore deprædicant, & solicitudinem nimiam, in auras esse mittendam persuadent, verùm utinam hæc universa per aures non exeant, inque auras abeant, quæ de avibus & Liliis docui & dixi.

Pro Emblemate Lilium effigio, cui Philomela insidet cum lemma: *quam bene conueniunt Vox bona, Odörque bonus. Lilia & Aves respiciamus, eorumque ex proprietate, puritati vitæ oris suavitatem conjungamus, ut jucundè amoenèque vivamus in bonæ spei Liliis, & ad paradisum aliquando evolemus bonis avibus.*

... 30 (33 "



N PRO-

Problemata P. Philippī Hartung.